

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali

Hufeland, Gottlieb

Jenae, 1799

VD18 12256064

§. 19. c) Sive per illos, ad quos literae commendatitiae directae sunt.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8845

pianus a trassatis, quoniam de istis extra dubium positum est, quod saepenumero protestationem requirant, licet circa singula facta controversa est res et plena dissensionum inter doctissimos. Nominant praecipue res duas, circa quas in cambiorum trassatorum cursu occurrere possint protestationes: Acceptationem scilicet et solutionem, quae, quamvis maximi sane momenti sint, nondum tamen iis omnis protestationum occasio exhauritur. Ordiamur tamen expositionem ab istis.

§. 18.

a) Circa eorundem acceptationem.

a) Plane denegatam

N) sive per trassatum primum.

Quantum ergo ad acceptationem, omni dubio caret, protestatione opus esse, simulac acceptationem in totum denegat trassatus, dummodo actione ad trassantem regredi velit cambii dominus. Res omnimodo aperta est. Regressus erga trassantem non patet, nisi trassatus ei, quod ab eodem postulavit trassans, non responderit. Ab isto facto omnia pendent. Hoc igitur probandum est, et quidem, ut in omni processu cambiali, liquide et plene; quod nullo modo nisi protestatione cambiali legitima te posse, supra jam demonstratum est.

§. 19.

2) Sive per illos, ad quos literae commendatitiae directae sunt.

Iteranda quoque est protestatio, cum cambium per trassantem in casum acceptationis a primo trassato denegatae ad alios trassatos directum sit (quod *Nebenadresse*, *Nothadresse*, latine interdum *litteras commendatitias*,



titias *) vocant) et hi iterum acceptationem detrec- tent. **) Nam istae quoque acceptationis omissiones le- gitime probandae sunt, ut processus cambialis, quo re- gressus quaeritur, exitum optatum invenias. ***)

§. 20.

Protestationis necessitas omnino eadem est, accepta- tione ex quacunque causa denegata, veluti ob falsitatem totius cambii, ****) ob istius interpolationem, ob non ac- ceptas literas monitorias, quas vulgo *avisatorias* di- cunt †), ob diversitatem tenoris plurium cambii instru-

C 2

men-

*) HEINECCIUM elem. j. camb. cap. 3. §. 31.

**) cf. *Allg. preuss. Landr.* P. II. §. 1018. 1019.

***) cf. BARTH, hodegeta forens. cap. 4. §. 4. not. aa. HEINEC- CII elem. j. camb. cap. 3. §. 32. et not. Non moror, quae in contra- rium attulit Io. Christoph. FRANCK. in diss. de jure adimple- menti literar. cambial. honor. causa §. 17. not. f. (in BESEKIE thes. p. I. p. 488) et in inst. camb. L. II. Sect. 2. tit. 5. §. 5. Hic enim non de literis istis ipsi cambii instrumente inscriptis, sed in separata schedula consignatis loquitur (quarum mentionem HEINECCIUS l. c. quoque facit, quas tamen nunc quidem rarissime obvenire opinor.) Ad tales cambii vim non extendi, sed istas sola assignationis jure censerī contendit, circa quas non omnino dissentio, praesertim cum de literis istis, ipsi cam- bio inscriptis, expressis fere verbis protestationis necessitatem concedere videatur.

****) cf. *Allg. pr. LR.* P. II. §. 1143.

†) Etiam in illo casu, quo translati inter plures, ejusdem e. g. nominis, discerni nequeat, protestationem non solum tutio- rem (uti RICCIUS t. c. §. 34. opinatur), sed vere necessariam duxerim, consentiente Io. Ad. БЕСКИО (*vom Wechselr. Kap. 4. §. 37.*)

